SYNODUS

DIŒCESANA

SANCTI FRANCISCI,

HABITA MENSE JULII MDCCCLXII.

80

18C
SF

SANCTI FRANCISCI:
EX OFFICINIS SMYTH ET SHOAFF.
1872.

SYNODUS

DIŒCESANA

SANCTI FRANCISCI.

HABITA MENSE JULII MDCCCLXII.

SANCTI FRANCISCI:
EX OFFICINIS SMYTH ET SHOAFF.
1872.

BX
1417
S3
A3
1872

SYNODUS

DIŒCESANA SANCTI FRANCISCI,

ANNO 1862. HABITA.

Rmus. D. Josephus Sadoc Alemany O. P. Archiepiscopus Sancti Francisci litteris pastoralibus Festo Ascensionis (29. Maji) 1862. datis sacerdotes suæ jurisdictionis ad exercitia spiritualia in Ecclesia Missionis S. Francisci per hebdomadam habenda convocavit, ut, ope divina per eadem prius invocata, inciperetur Sancti Francisci Synodus Diœcesana prima, quam ipsis litteris die 15. Julii 1862. in eadem Ecclesia incipiendam indixit, ad eam simul invitando Ecclesiasticos omnes tam sæculares, quam regulares, qui de jure aut consuetudine eidem interesse debebant. Die igitur 8. Julii 1862. sacerdotes sæculares Diœceseos in Ecclesiam Missionis S. Francisci convenerunt, ibique sub moderatione Adm. Rev. Patris B. Villiger, S. J. spiritualibus exercitiis operam dedere, quibus peractis die 15. Julii, Missa Pontificali de Spiritu Sancto a Revmo. Archipræsule celebrata, incepta fuit Synodus Diœcesana prima Sancti Francisci, quæ, Tribus Sessionibus constans, absoluta fuit die 17. Julii, qua efformata decreta confirmata fuerunt.

OFFICIALES SYNODI.

Adm. Rev. Jacobus Croke, V. G., Promotor.

Adm. Rev. Petrus Magagnotto, V. G., Procurator cleri.

Rev. Jacobus Motter, Secretarius.

Rev. Johannes Harrington, Magister cæremoniarum.

Nomina eorum, qui Synodo interfuerunt.

SÆCULARES.

Adm. Rev. Jacobus Croke, V. G.
" " Petrus Magagnotto, V. G.
Rev. Auger, Ludovicus.
" Byrne, Jacobus.
" Cassin, Jacobus.
" Cian, Thomas.
" Cotter, Jacobus S.
" Dempsey, Dionysius.
" Deyært, Petrus.
" Fahrer, Maximilianus J.
" Fedory, Julianus.
" Gallagher, Hugo P.
" Gallagher, Josephus A.
" Gallagher, Nicholaus.
" Grey, Petrus.
" Harrington, Johannes.
" King, Michael.
Rev. Largan, Jacobus.
" Lootens, Ludovicus.
" Maginnis, Johannes.
" Malony, Jacobus.
" Molinier, Johannes.
" Motter, Jacobus.
" Prendergast, Johannes.
" Quinn, Johannes.
" Reindl, Josephus.
" Rossi, Ludovicus.
" Sanchez, Eduardus.
" Serrano, Gabriel.
" Smith, Terentius.
" Walsh, Patritius.
" Wolf, Sebastianus.
" Yzquierdo, Michael I.

REGULARES.

Adm. Rev. Franciscus S. Vilarrasa, O. P. Prov.
Adm. Rev. Burchardus Villiger, S. J. Sup.
Rev. Accolti, Michael, S. J. Præses S. Claræ.
Rev. Aerden, Jacobus, O. P.
" Bushard, Jacobus, S. J.
Rev. Congiato, Nicholaus, S. J.
" Goetz, Antonius, S. J.
" Maraschi, Antonius, S. J.
" Piccardo, Benedictus, S. J.
" Raffo, Paulus, S. J.
" Vinyes, Vincentitus, O. P.

CONSTITUTIONES.

A Rmo. D. Josepho Sadoc Alemany O. P. Archiepiscopo Sancti Francisci latæ et promulgatæ in Synodo Diœcesana die 17. Julii 1862.

I. In hanc primam Sancti Francisci Synodum convenientes tempore, quo impii homines in Ditione Pontificia, omnibus divinis ac humanis juribus posthabitis, tot tantaque mala regioni illi ac Sanctæ Matri Nostræ Ecclesiæ acri pertinacia inferre persistunt, non possumus, quin et publicam demus expressionem doloris, quo cor nostrum et fidelium nostræ pastorali curæ commissorum intuitu tantorum malorum affligitur, et solemniter contra tantas impietates, in quantum possumus, protestemur, admirantes una cum Orbe Catholico Summi Pontificis Nostri Papæ Pii IX. in tantis angustiis versantis heroicas patientiæ et fortitudininis virtutes, quibus Vicarius D. N. Jesu Christi in terris ipsius Sponsæ Immaculatæ jura contra tot, tantosque hostes invictus et imperturbatus defendit.

II. Decreta omnia, quæ in septem conciliis Provincialibus Baltimorensibus, et in Plenario concilio Baltimori pariter habito, lata sunt, vim obtinere in hac Diœcesi declaramus, et servanda jubemus. (Ex Syn. Diœc. Balt. 1853. n. I.)

III. Invigilent presbyteri servare quæ per Decreta Baltimorensia statuuntur de modestia ac congruentia vestium a se gerendarum, necnon probitate atque ætate fœminarum eis inservientium.

IV. In administratione sacramentorum, exceptis matrimoniis mixtis, utantur sacerdotes veste talari, superpelliceo ac stola debiti coloris.

V. Ecclesiarum limites designabuntur ab Ordinario, ipsius dispositioni ac mutationi subjecti, neque extra sibi designatos limites sacro ministerio Pastores fungantur : exceptis tamen casibus gravis necessitatis, de quibus singillatim pastores proprii quamprimum certiores fiant a presbytero talia munia administrante.

VI. Hispani, Galli, et Germani in locis, ubi plures sunt Ecclesiæ, limitibus non circumscribuntur, sed Pastoribus pro eis designatis subjaceant. Quod si in eorum conjugiis unus contrahentium ad unam, alter vero ad alteram nationem pertineat, liberum sit contrahentibus matrimonium inire coram Pastore alterutrius partis.

VII. Per frequentes Pastoris explicationes Ecclesiæ suæ limites apprime noscant Fideles, propriumque adire Pastorem pro ministerio obtinendo doceantur. Ista autem ordinatio Pœnitentiæ Sacramentum non meditatur.

VIII. Valde curent pastores ut interrogationibus vel alio modo apprime noscant ad quam Ecclesiam matrimonio jungendi, vel baptizandi pertineant, caventes ne non suis administrent.

IX. Aucto jam Ecclesiarum numero, baptismum extra ecclesiam solemniter conferri nolumus in civitatibus, oppidis, vel aliis locis, in quibus ecclesia erecta est, et sacerdos mora-

tur. In aliis locis, rem æquo arbitrio Missionariorum relinquimus, quoties infans duorum milliarium spatio ab ecclesia distat, hortantes tamen, ut sacramenti dignitati consulant, intra ecclesiam, ubicumque fieri poterit, illud administrando. Urgente necessitate baptizandi periclitantem, omittendæ erunt cæremoniæ quæ præmittuntur, servatis tantum quæ post baptismum præscribuntur faciendæ; et omissis ritibus deinceps in Ecclesia supplendis. Cæremonias autem a baptismo separare, extra gravissimam necessitatem, non licet. (Ex. cit. Syn. Balt. n. X.)

X. Unusquisque pastor habeat in Ecclesia Fontem Baptismalem, clave munitum, ex cupro, stamno interius saltem obducto, sufficientis capacitatis ad continendam aquam baptismalem necessariam pro suo districtu, singulis annis renovandam.

XI. Prout a S. Rit. Congregatione exigitur, (3 Sept. 1672.) "In renovatione, quæ quolibet octavo die fieri debet de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, consumi debet tum Hostia, tum etiam Particulæ, quæ existunt in Tabernaculo post sumptionem Sanguinis ante Purificationem." Ea vero renovatio, uti ait Sanctus Carolus Borromæus, ex Hostiis non ante viginti dies ad summum confectis fieri debet.

XII. Cum etiam adeo impiæ manus inveniri possint quæ immani Tabernaculi violationi sacrilegam non vereantur addere profanationem, omnimode curandum, ut Tabernacula pro SS. Sacramento retinendo quam fortissime construantur. Serventur etiam Decreta S. R. Congregationis requirentia lampadem coram SS. die noctuque ardentem; quod si tam pauper fuerit aliqua Ecclesia, ut oleum comparare nequiverit, id Nobis exponat Pastor, ut dispensationem vel remedium afferre valeamus. Neque in Tabernaculo, vel quod forsitan

pejus est in communi loco, sed prout Rituale præscribit, ac ea qua par est reverentia S. Olea custodiantur.

XIII. Circa SS. Viaticum infirmis administrandum sequentia observentur. Si infirmus sit in loco ubi existit Ecclesia, aut non valde distans; tunc sacerdos, nisi constet de morte imminenti, SSmum. secum non ferat, sed adeat infirmum sine eo; infirmo autem jam disposito opportuno tempore deferat SSmum. cum omni reverentia et timore, cum stola albi coloris e collo pendente vestibus cooperta, pixide recondita in bursa per funiculos collo appensa, et in quantum fieri possit cum Clerici aut unius saltem fidelis comitatu; si vero infirmus valde distet a loco ubi Pastor residet, tunc distinguendum: si Sacerdos pervenire ad eum possit jejunus ac tempore convenienti ad celebrandum, omnia ad sacrificium necessaria secum ferat, ibi celebret, ac Viaticum aut Communionem administret: si vero prævideat, quod missam convenienter celebrare non poterit, tunc SSmum. secum ferat modo prædicto.

XIV. Monentur sacerdotes vinum ad altaris usum procurare a sacerdote ab Ordinario designando, cujus erit semper purum vinum de vite habere.

XV. De novo advenientes sacerdotes, antequam ad audiendas confessiones approbentur, examen subire teneantur.

XVI. Interdum proponantur omnibus sacerdotibus tam Sæcularibus quam Regularibus ad confessiones audiendas approbatis casus quidam conscientiæ, quorum solutiones dentur tempore constituto.

XVII. Unaquæque Ecclesia unum saltem habeat confessionale in loco patenti et publico, nullaque Ecclesia nova benedicatur, antequam illud in eadem erectum sit.

XVIII. Matrimoniorum negotia a Pastore perficantur, ac solum coram eo sive presbytero ab eo delegato licitum sit conjugia celebrari: dum in præsenti eorum validitatem salvari volumus, quæ coram quovis sacerdote, licite S. ministerio in Dœcesi fungente, fuerint celebrata.

XIV. In civitatibus plurium parochialium Ecclesiarum cum matrimonio jungendi pertinent duabus diversis parœciis, bannorum denuntiationes in utraque Ecclesia fiant: pastor insuper moneat conjuges, qui jus habent ad benedictionem nuptialem, ut se quamprimum disponant ad illam a se vel a presbytero a se delegato recipiendam.

XX. Cum aliquando eveniat, quod matrimonium contrahere volentes ad Pastorem neutrius partis a loco distanti accedant, et rationes extent ad matrimonium accelerandum; Pastor non proprius eos non jungat inconsulto Archiepiscopo, si facilis sit accessus. Venia autem obtenta eos conjungat; at emolumenta, conjugii occasione recepta, contrahentium Pastori remittat, quinta tamen parte sibi retenta. Si vero ad duos Pastores pertineant cantrahentes, utrique medietatem dabit, sibi quinta parte, ut supra, retenta. Quod si contrahentes jungat inconsulto Archiepiscopo dum facilis sit accessus, omnia remittere debet nihilo sibi retento.

XXI. Pastores in suis respectivis Ecclesiis saltem bis in anno per conciones fideles suos de Ecclesiæ mente circa matrimonia mixta admoneant; scilicet, quod semper et ubique Ecclesia eadem sit detestata; commemorent mala quæ ex talibus matrimoniis ordinarie sequuntur, suaviter admonendo, non vero nimis severe increpando, ne mala majora sequantur, admoneant insuper Pastores fideles suos in iisdem concionibus de reservatione peccatorum sub n. V. in Casibus reservatis explicatorum.

XXII. In visitatione episcopali, ultra libros administrationis rerum temporalium, exhibeantur etiam Ordinario Libri Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, ac Defunctorum, nec non Liber Status Animarum quantocius fieri possit efformandus. In libro autem matrimoniorum exprimantur nomina, et prænomina conjugum, eorum parentum, patriæ, et residentiæ actualis tempore matrimonii una cum nominibus testium, et loci in quo matrimonium celebratum fuit; exprimatur etiam quæcumque dispensatio sive a bannorum denuntiationibus, sive a quocumque alio impedimento, si quæ et prout data fuerit. In libro vero Baptizatorum exprimatur locus, in quo baptismus fit, ac locus residentiæ parentum Baptizati, qui etiam nomine conjugum designentur, si tales sint.

XXIII. Baptismum, Viaticum, et Extremam Unctionem administrare valeant vicarii, æque ac pastores, sub pastoris tamen directione; quascumque autem oblationes occasione ministerii receptas fideliter pastori remittant.

XXIV. Occasione matrimonii in Ecclesia celebrati nullum exigatur stipendium; pro pastoris ad idem assistentia extra Ecclesiam in loco non valde distanti decem solvantur scutata, in loco autem valde distanti præter sumptus itineris decem solvantur scutata pro quaque die absentiæ necessariæ.

XXV. Stipendium pro missa privata sit unum scutatum, pro missa autem pro sponso et sponsa duo cum dimidio.

XXVI. Missæ cantatæ quandoque minus quandoque magis solemnes sunt, ideoque earum stipendium a decem ad viginti scutata variare poterit, ac etiam ad amplius si magni sumptus pro musicis aliisve fieri debeant.

XXVII. Pro sepultura defunctorum, quando solum adhibentur preces Ritualis stipendium sit quinque tantum scutatorum pro pueris decem annos non excedentibus, et decem pro adultioribus: qui vero Solum pro se vel suis in Cœmeterio obtinere cupiunt ab uno ad duo scutata solvant pro quovis pede superficiali; quæ summa extra Urbem Sancti Francisci sit dimidii tantum scutati pro unoquoque pede superficiali, nisi aliter ab Ordinario expresse permittatur. Ea vero Sola obtinentes, jus in perpetuum non acquirunt, sed tantum usum legibus, ritibusque Ecclesiæ subjectum, nec non Statutis Diœcesanis editis ac edendis.

XXVIII. Populum extra proprium Districtum numquam adeant clerici sive sæculares, sive regulares, per se sive per alium eleemosynæ petendæ gratia ad quæcumque charitatis vel religionis opera promovenda, quin prius Ordinarius consulatur, ejusque sanctio in scriptis obtineatur : quæ quidem sanctio populo ab altare notificanda erit in Ecclesiis locorum, in quibus eleemosynæ petendæ sunt; privilegiis vero Regularium in suo robore servatis; priusquam tamen Regulares extra Districtum suum eleemosynas petant, propria privilegia Ordinario præsentabunt; quæ privilegia Ordinario præsentata ab ipso significabuntur pastoribus locorum, in quibus tales eleemosynæ petendæ erunt.

XXIX. Rogatur Archiepiscopus ut a prædicta sanctione danda abstineat, nisi re in Concilio discussa et majori parte suffragiorum a Concilio approbata.

XXX. Pastoris jus in eo constituimus, quod ei cura parœciæ tradatur cum subsidiis ad vivendum desumptis ex scamnorum redditibus, et oblationibus fidelium. Quod si vicarius ei detur, hujus erit ea peragere munera, quæ sibi a pastore committuntur, et congruam sustentationem accipere

ex ecclesiæ redditibus. Quæ obveniunt occasione baptizandi, vel matrimonium celebrandi, in commune conferenda sunt, et deinceps dividenda ita ut quarta pars pastori detur, reliqua vero æqualiter dividantur inter pastorem et vicarium, aut vicarios. (Potissimum ex Syn. Balt. cit. n. VII.)

XXXI. Pastor, qui liberam habet rerum suæ ecclesiæ administrationem, debet cum Nobis et Concilio Nostro convenire de subsidiis ad vitam decenter sustentandam, et iis subductis, de cæteris reddere rationem quotannis, die 1 Februarii, scripto in Cancellaria deponendo uti in n. XL. (Ex eadem Syn. n. IX.)

XXXII. Cum sustentatio Ecclesiarum atque pastorum hic præcipue obtineatur ex scamnorum redditibus, et oblationibus fidelium, quæ quidem propriæ Ecclesiæ debentur, scamna in quacumque ecclesia in Urbe Sancti Francisci nulli tradantur in usum cui oblatio pecuniaria sit annexa præterquam subditis respectivarum Ecclesiarum, nisi Rmus. Archiepiscopus sibi pro exceptione applicantibus specialem permissionem expresse tribuat, aut nisi prius scamnum aut scamna habeant, et retineant in propriis ecclesiis.

XXXIII. Summopere conentur Sacerdotes, curam animarum exercentes, institutioni juventutis in doctrina christiana per se operam dare, atque in collationibus, tempore spiritualium Exercitorum habendis, moderatam exhibeant pastores rationem Institutionis ac progressus Congregationis Doctrinæ christianæ in suis Ecclesiis erectæ.

XXXIV. Instituantur quamprimum scholæ parochiales, quorum erectio, permanentia, media sustentationis etc. dirigentur una cum Ordinario a Comitatu ad hoc per Synodum Diœcesanam electo.

XXXV. Cum Sancta Sedes sæpius proscripserit secretas omnes Societates, quocumque vocentur nomine, quæ adversus Ecclesiam, vel rempublicam civilem aliquid moliuntur, et consultationibus hac in re quæsitis responderit Socios Singulares, Filios temperantiæ, aliosque diversis nominibus in Societatem coeuntes, iis prohibitionibus comprehendi; monemus sacerdotes, ut fideles hujusmodi sodalitiis secretis aggregatos a sacramentis repellant, quamdiu iis adhærent, et sepulturam ecclesiasticam denegent iis qui ad mortem usque pertinaciter in iisdem perseverant. Quod si contigerit aliquem moribundum renuntiasse sodalitio, et pacem Ecclesiæ impetrasse, ritus sacros in ejus sepultura adhibendos permittimus, ea conditione ut socii superstites non incedant funeri comitantes propriis ornati insignibus. (Ex Syn. Balt. cit. n. XXIV.)

XXXVI. Societas Sancti Vincentii a Paulo in Cathedrali instituatur cum conferentiis in aliis Diœceseos Ecclesiis.

XXXVII. Duæ saltem fiant quotannis publicæ collectæ in omnibus ecclesiis, una pro Seminario Diœcesano, altera pro orphanis; Pastores vero qui unius tantum Ecclesiæ curam habent totam assignatæ diei collectam Ordinario mittant; qui vero plures habent Ecclesias totam etiam collectam Ecclesiæ principalis Ordinario remittant, ex aliarum vero Ecclesiarum collectis sibi, quod ordinarie percipiunt, retinere valeant, reliquo Ordinario misso.

XXXVIII. Nullus sive laicus sive clericus titulum sibi acquirat bonorum immobilium ad usum Ecclesiæ, Cœmeterii, scholæ vel domus parochialis destinatorum, nec quivis ea vendere, locare vel quovis modo alienare præsumat sub pœna interdicti vel suspensionis ferendæ, salvis privilegiis Regularium.

XXXIX. Debita nec pro se nec pro Ecclesia ultra quingenta scutata contrahant Sacerdotes Ordinario inconsulto, nec absque ejus beneplacito recipiant deposita, neque implicent se negotiis sæcularibus.

XL. Habeant Pastores repertorium omnium ad Ecclesias suas pertinentium, illiusque exemplar suis successoribus tradant; aliud etiam exemplar Ordinario mittant semel, additis singulis annis quæ quælibet Ecclesia acquisiverit; quorum quidem enumerationem, una cum ratione bonorum ecclesiasticorum administrationis quotannis reddenda, die 1 Februarii Ordinario mittant.

XLI. Constitutiones istas vim obtinere declaramus, cum typis impresssæ ad Clerum Diœcesanum transmissæ fuerint.

De mandato Rmi. Archiepiscopi,

JACOBUS MOTTER, D. D.,

Secretarius.

STATUTA ADDITA.

XLII. Conentur Pastores plenam publicationis Bannorum observantiam introducere, difficilesque sese exhibeant ad duarum publicationum dispensationem comparandam.

XLIII. Communio Paschalis fiat in propria parœcia, nisi fuerit alicui a proprio Pastore vel ab Ordinario aliter permissum.

XLIV. Quilibet Pastor populum sibi creditum adhortetur ad missam solemnem sive parochialem in propria parœcia audiendam, quo Fideles Verbi Dei prodicatione ac instructionibus pastoralibus nutriantur, juxta sequentia Concil. Trident. verba: "Moneat episcopus populum diligenter,

teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei." (Sess. 24. De Ref. Cap. 4.)

NOTANDUM:

1 Circa consilia Cleri Dioecesani anno 1852, quibus Concilium Tridentinum habebatur ut receptum in hisce locis, decimisque quædam contributio substituenda ducebatur; id notum sit a S. Sede rescriptum fuisse: 1. Subrogandos Decimis alios redditus ab Epiocopo pro sui prudentia taxandos, retento tamen titulo Decimarum, attentis locorum circumstantiis: 2. Extendi Instructionen Benedictinam in forma, et terminis Concessionis pro Hollandia: 3. Decretum Concilii Tridentini Cap. I. Sess. 24. De Reform. Matrim. uti promulgatum haberi debere in omnibus locis Diœcesis S. Francisci: his additis.

"*FERIA IV. die* 15 *Mai*, 1861.

* * * * * * * * * *

Smus. D. N. D. Pius Divina Providentia PP. IX., in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatis prædictis dubiis, eorumque expositione, mature perpensa, auditis Emorum. suffragiis, quoad matrimonia in locis Diœcesis Sancti Francisci hactenus clandestine contracta, dummodo nullum aliud obstet canonicum impedimentum, et Conjuges adhuc maritaliter vivant, benigne indulsit pro generali sanatione in radice, quatenus opus sit. Quo vero ad matrimonia in posterum ineunda declaravit valida et licita esse quoties contrahantur coram duobus saltem testibus, et quidem quoad fieri possit, catholicis, si Parochus, vel Missionarius prævideatur a loco diu abfuturus nec facilis sit ad eum recursus: hortandos autem fideles, ut cum primum Sacerdotis copiam habere queant benedictionem ab eo petant, qui tamen illis declarabit hujusmodi benedictionem ad validita-

tem matrimonii minime pertinere. Erit insuper ejusdem Parochi, vel Missionarii Conjugia sic contracta in Regestis referre Ordinario dein tradendis.

ANGELUS ARGENTI,
S. R. et U. I. Notus."

2. Nullum Sacerdotem matrimonio jungere posse catholicum cum acatholica neque cum infideli, nec vicissim catholicam cum acatholico neque cum infideli, absque speciali dispensatione a nobis, vel a Vicario Generali, nobis ultra diem absentibus, obtenta.

3. Lege civili præcipi, ut quilibet sacerdos, coram quo matrimonium aliquod celebratum sit, ejusdem celebrationis actum (vulgo *certificate)* intra mensem ad comitatus Tabularium (County Recorder) mittat: eademque lege prohiberi, ne feminæ infra 18 annos, virique 21, absque parentum permissu matrimonio jungantur.

4. Decerni suspendendum ab omni ordinis exercitio quemcumque sacerdotem, qui bona immobilia missionum seu Ecclesiarium vel ad eas quovis titulo pertinentia, vendere, locare, aut quobis modo alienare præsumpserit Ordinario inconsulto, et qui Ecclesiam aliquam ædificare inceperit, antequam loci vel soli dominus Ordinarius factus fuerit.

5. De facultate apostolica ad quinquennium a die 3. Sept. 1871, duratura subdelegari Missionariis diœcesis facultatem utendi in adultis Sacro fonte abluendis breviori formula pro baptismate parvulorum in Rit. Rom. præscripta ; enixe tamen ab omnibus curandum, ut res quantocius ad præscriptiones Rit Rom. reducatur.

CASUS RESERVATI DIŒCESANI.

1. Peccatum contra sextum Decalogi præceptum, copula

completum, sacrilegii rationem habens ex voto castitatis ab altero aut ambobus emisso:

2. Permittere taurorum cursus in coemeterio:

3. Crimen Solicitationis.

4. Bona immobilia Missionum vel quarumcumque Ecclesiarum, vendere, locare aut quovis modo alienare, inconsulto Ordinario.

5. Matrimonium inire coram ministello acatholico, vel absque magna necessitate coram civili judice.

S. Francisci, Jan. 3. 1872.

De Mandato Archiepiscopi,

RICHARDUS P. BRENNAN,

Secretarius.

GTU Library
3 2400 00592 2947

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall